



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Constantia nobilium Catholicorum Baronis Wottoni, & Baronis Petri.
Ibidem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320

1630. cant) iureiurando in teterrimum ruri erga tulū compingitur. Miser transfuga
 1631. non multo post tempore pœnas morte infelicissima luit, vt qui Deum nun-
 1632. quam nominare auditus est, præterquam cum Sacratissimum nomen sacri-
 1633. legis iuramentis violaret; malum verò dæmonem sibi adstare clamabat a-
 spectabili & horrenda forma; Sacerdotem etiam scelus atque iniuriam ex-
 probrantem. Sacerdos amotus Londinum, & liberiore vsus carcere, tandem
 Regina gratia liber postquam plures annos in eadem messe consumpsisset
 exul diem clausit Audomar, vbi à puero educatus & excellentiam quandam
 in Græcis & latinis consecutus, post studia Romæ & in Sicilia peracta multis
 annis cum laude docuit & præfuit scholis, perpetuo licet Asthmate pressus
 & demum oppressus, cum annum ageret sexagesimum nonum, Professio-
 nis quatuor votorum circiter trigessimum.

Horror in
 scelere sa-
 lutaris.

Alteri amatoris hære-
 tici captæ lenocinijs, cum vt eo potiretur spondidisset se Protestantium sacra
 adituram fors melior obtigit quam Antistitis filio: Vix enim in profani tē-
 pli limen pedem intulerat quando ex horruit, & ad populum conuersa, "Sci-
 tote, inquit, me conscientia reclamante huc venisse; & tu Domine Prædicans
 caue nē verbum in hac nuptiali ceremonia proferas quod rectum non sit ac
 necessarium; aliquid ego me illicò propriam.) Tum rursus ad astantes,
 "Sanctè promitto me quoad vixero huc rursus nunquam ingressuram.) ne-
 que fessit fidem; reliquam enim vitam piè & Catholicè traductam hoc lu-
 cro cumulauit, quòd maritum ad eiusdem fidei consortium post paulo infle-
 xit, & in ea vterque ad exitum vsque perseuerauit.

Constantia
 nobilium
 Catholicorum.

Constantia vero nobilium Catholicorum hoc tempore vt Heterodoxis
 admirationi & stupori, ita Orthodoxis non exiguo fuit incitamento ad fir-
 mitatem & gloriam. Enituit inter cæteros Baro Wottonus (Parens Pickerin-
 gi, de quo libro quinto diximus) Hic Senex Octogenarius qui ad annos com-
 plures vix domo excesserat, de Religione appellatus sistit se Iudici. Perculit
 tanti viri præsentia congregatorum animos, eoque magis quod vix hæctenus
 audisset Catholicus. (Ætati enim grandæ, & inualetudini data fuerat duo-
 decim annorum ab hæreticorum templis absentia) Iure quo nondum exci-
 derat, secundus ei in subscellijs locus debebatur; At ille sella gestatoria inue-
 ctus in comitium, inter reos se deponi iussit, etenim quandoquidem vt reus
 fuerat accersitus, æquum esse aiebat inter reos occupare locum: At non tu-
 lere Assessores: Itaque ad dexteram Iudicis, cum confedisset, hanc ad-
 uentus rationem reddidit.

Baronis
 wottoni.

"Sum Catholicus: hoc mihi
 nunc crimini vertitur: diem tamen istum mihi præ cæteris totius vitæ die-
 bus lætorem esse debere existimo, quo datur fidem palam coram omnibus
 profiteri: Non potui quidem non mirari quod hac ætate vir qui Reip. com-
 modis pluribus annis inter primos inuissem, quarto functus legatione ad
 exteros Principes, Elizabethæ olim & Iacobo à Consilijs, huc loci sine vlla
 præoccupatione vocarer; At causa mihi est optima, Religio; pro qua & an-
 nos, & opes, & quidquid demum mihi superest libenter Deo & vobis offero,
 vt si videatur secundum Leges vestras iudicetis.) In præsentiarum aliud actum
 — est nihil;

est nihil; neque diu superfuit; defuncto vxor, quæ superuixit, hoc ei posuit Epitaphium, partim nigro marmorì partim albo contiguo insculptum.

1633.

1634.

Carissimo suo coniugi Domino Edwardo Wotton
Catholico: Faroni de Marley mæstissima vxor sua D. Margareta Wotton
Catholica; Filia Domini Philippi Wharton de Wharton hunc lapidem
posuit.

Terrâ cæloque reuincti.

Pseudo-Antistes Cantuariensis Abbotius cùm ægre ferret sua in Dicecesi Catholico homini erectum quasi Sepulchrale trophæum, nomen *Catholici*, & *Catholica* curauit abradì: Ita neque uiuì neque mortui suis permittuntur boni gaudere titulis & honoribus, eorum inuidia qui licet magnificum illud nomen quandoq; uirpent, fixum tamen & constanter adhærens nunquam possunt obtinere.

In Essexia Guilielmus Baro Petreius comparuit & ipse citatus; Atque ut vixit diutius, ita obnoxius magis legibus, de gradu primum Irenarchæ deiectus est; tum Armamentarium (quod habebat pro dignitate & loco suo egregiè instructum) direptum, atque aliò translatum, suo tamen sumptu quotannis poliendum: denique cùm in gradum officiumq; Irenarchæ restitui non posset nisi Pontificis primatum abiurando potestatemq; in Principes, ijs recutatis vixit priuatus, & piè post aliquot annos decessit, astantibus in hæc verba (quæ illi fuere postrema) valedicens, " Illuc enim ego nunc proficiscor, vbi Deum amplius nunquam offendam.)

Guilielmi
Petraei.

XIV. Nostrorum verò quotidiana sunt pericula, præsertim cùm quis morti proximus nuntiat, qui in Catholicam aggregari flagitat nè æternum moriatur, Audendum enim est, & per medios conlangueos & affines heterodoxos plerumque insensissimos, aperienda est quoquo modo via, nè vel desimus nos officio, vel is excidat voto & vita quam optabat æternâ.

Nostrorū
pericula.

Accidit etiam vt Londini Rector cùm sex socijs in conductâ ad vsus nostros domo caperetur. Designatus erat dies ad vota aliorum renouanda, aliorum vltima nuncupanda; non tam cautè res acta est, vt vicini circumquaque hæretici non aduenterent plura in eam domum inuehi quàm paucis qui comparebant sufficerent; Accessit inuidia tabernariorum qui se neglectos indignabantur, dum necessaria non ab ipsis, sed à longius positis peterentur. Itaque informatis quadruplatoribus cingitur circa nonam matutinam domus, irrumpunt satellites; cuncta sursum deorsum perscrutantur: Rectorem in antro sub terra latentem cum supellectile sacra & socijs aliquot, alios alijs in locis præhendunt, ducentq; diuersos ad carceres: Iudicio agitur; vnus tantum de Sacerdotio damnatur qui se profitebatur Sacerdotè quoniam id celari non posse existimabat, quandoquidem publicè in domo oratoris ita vixisset, gef-

Rector
cum alijs
Londini
captus.